

pugnabatur, eo plures vulnerabantur: nullo inter arma corporaq; vano intercedente telo. Cùm diu anceps fuisset certamen, & Aurelijs, quia præter spem resisterent creuissent animi, Angli quia nõ vicissent, pro victis essent, obidque languentibus ipsis ac animo remissis, cùm expertissimus quisq; minimè iam defendendum propugnaculum ac omninò deserendum esse censeret, præsidarij maioribus adactis tormentis, illud cum arce, ne munimenta hostibus & receptacula belli relinquerent, diruerunt: rescissoque ponte se in urbem receperunt. Eo ipso die ( qui fuit ad nonum calend. Nouembris ) Sarisberiensis ad arcem cum Glacida, & aliquot cohortibus cùm processisset, vt ex alto oppidi situm despectaret, in eum locũ directo à turri diuæ Mariæ tormento, globus ferreus illi alterum oculum ac genam abiipuit. Quo audito Anglis ex dolore metus, & Aurelijs ex gaudio stupor iniicitur. Post paucos dies ille Magduni (quò delatus fuerat) decedit: cum quo vires quoque Anglorum ceciderunt. Nam sicuti telo si primã aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris, sic illo velut mucrone teli ablato duce, Anglorum vires hebetatæ sunt: vt non tam illum amisisse, quàm cum illo interiisse Angli viderentur. Nam neque hunc ante ducem vllum memorabile bellum in Francia gesserant, nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere: vt manifestum sit Anglorũ gloriam in Francia partam, & natam & extinctam cum eo fuisse:

eius